




21
Bl. 89





JUVENI
NOBILISSIMO, CLARISSIMO,
DOCTISSIMO,

DOMINO
CHRISTIANO
MVRAVE,

VRATISLAVIENSI,
CVM IS

LAVREAM PHILOSOPHICAM
MORE INSTITVTOQVE MAJORVM
VITTENBERGAE IN SAXONIBVS
DIE XVII OCTOBR. MDCCXII

REPORTASSET,

GRATVLABATVR

DANIEL HOCKH, HVNGARVS



WITTENBERGAE,

PRELO KOBERSTEINIANO.

159





DOMINO
CHRISTIANO
* * * * *



Non ita Achæmenii micuere palatia Cyri,
Non arces, Ptolomee tuæ: non tecta Neronis,
Non quicquid magnam meruit per secula famam,
Ceu, quam Diva sibi Sapientia struxerat, aula:
Mœnia Dardanios Babylonicosque fugacis
Spem Populi cultu, spatius ac robore muros

Vincebant, nam marmos erant, ferrumque chalybsque:

Quas tulerant Tyria Libano de monte Carinae,

Et quarum tumidae feriebant sidera turre,

Bis sex stringebant adamantina vincula portas.

Ipsa domus stabat Phrygiis innixa Columnis:

Mygdonius limen lapis, at mareotica postes

Eximios Ebenus, crassumque absconderat aurum:

Stratus humi rutilabat Onyx, et levis Achates.

Non procul hinc partem fusi monstrantur in omnem

Campi felices: hoc illos nomine dicunt,

Hos habitat Vulgus Vatum, quos æquus amavit

Cynthius, aut ardens evexit ad æthera Virtus.

Qualia præterea Saturno tempora Rege

Isic ferunt, agerent cum longam regna quietem

Omnia, nec belli premerent incendia terras:

Cum Ver perpetuum placidique Aquilone tacente

Plenos

Plenos afflaret Zephyri sine semine Campos,
 Talis erat, si non melior vel gratior arcis
 Hujus temperies toto placidissima Coelo.
 Vestibulum ante ipsum posuere Cubilia Musa:
 Quois præerat cythara pharetraque decorus Apollo:
 Hinc Charitum Chorus et Pax et tranquilla voluptas
 Veraque Libertas, post hanc mera gaudia mentis
 Felicis, jam non querulo vicina dolori,
 In statione sua peragebant fronte serena
 Jussa Deæ, quæ cum muros comitante Caterva
 Virtutum, toramque suis lustraverat aulam
 Luminibus, Soli similis, qui tectus opacis
 Nubibus, has subito radiorum fulgure vincit,
 Latata est: posthæc repetens tentoria cello
 Consedit folio, jussitque tacere ministris
 Omnibus, has sancto fudit de pectore voces:
 Invicta est, dilecta cohors, quam struximus, aula:
 Mœnia vidistis valido circumdata muro,
 Quem rapidus flammis torrens sitientibus ambit,
 Vis ut nulla Virum, non turba infana Gigantum,
 [Sæviant unitis quantum vis viribus,] illa
 Subruere, aut nostras valeat convellere sedes:
 Vidistis campos lætos & amœna Vireta
 Fortunatorum nemorum, lucosque beatos:
 Omnia vidistis rutilo fulgere metallo
 Et gemmis; & si quid adhuc pretiosius istis.
 Sed quonam hæc spatiosa domus? quo summa Voluptas?
 Quo Decor, et Cytharæ, et Cantus, quo habitacula, nulli
 Si fuerint Cives? num nos hæc omnia foli
 Commoda vincemus, terramque tenebimus omnem?
 I Cato, et innumeras in hæc mea mœnia gentes
 Sollicita, atque novum nobis molire triumphum:
 Tros Rutulusque mihi, Civis Romanus & hospes
 Barbarus et Grajus, Boeotius, Articus, et quos
 Orbis alit Populos, nullo discrimine agentur,
 Dum veniant nostroque jugo sua subdere Colla
 Assivecant, animosque mihi summittere discant:
 Quoque magis prompti veniant, Convivia mensis
 Innumeris dabimus, latices epulasque Deorum:
 Tu modo pelle moras: pedibus talaria nocte

Mercuri

Mercurii, festumque diem moralibus affer:
Dextrum Alethia latus Divæ, Pietasque Fidesque
Cinxerat; at Regni custos Clementia lavam,
Hanc juxta Pudor ac ævo rarissima nostro
Simplicitas, et vincula comam Concordia quercu,
Vittata steterant, his se Spes junxerat unum,
(Postquam fugerunt sceleratas Numina terras)
Vna bonum Mundi, Sophies nunc arce recepta:
Ante Deam contra vultuque et veste severus
Cum sociis Grajis peregroque sub aëre natis
Stabat Romana Cato maxima gloria gentis.
Hic ergo, Dominam finem fecisse loquendi
Vt vidit, viva Virtute et Apolline plenus
Accedit propius, justisque ita vocibus infir:
O Cæli Summum Decus & Regina, quid optes
Explorare labor tuus est: ego iusta capefso:
Ire jubes, abeo; venio, si iusseris, et nunc
Mopfopii Juvenis cuperem frangere Dracones,
Aut, quibus humentes dividit Pegafus auras,
Aut Icari pennas: etenim tardante Senecta
Sanguis hebet, languentque effocto in corpore vires,
Quicquid erit, rursus Syrtes et inhospita tesqua,
Extremaque petam Lybiæ ferventis arenas:
Vnde venit Titan et nox ubi fidera condit,
Quaque dies medius flagrantibus aëstuat horis:
Qua glacialis hyems aquilonibus asperat undas,
Et quacunq; patent habitati fœdera Mundi.
Tu modo, Diva, fave, dederisque in itinera vires.
Exanimem alios ventura pericla: Catonis
Nesciam vinci, si fractus concidar Orbis
Inter fumantes stabit non victa ruinas
Me fitis, atque fames, me fævi dente Colubri,
Me fera, tempestas, hostis, rigor, æstus, arena,
Et quacunq; solent alii pallefcere pestes,
Me feriant; mea gaudebit Patientia duris.
Omnia grata mihi fuerint, modo copia detur
Innumeris tantam replendi Civibus urbem.
Sed quid opus multis? non sic mea vota petito,
Aut tua sperato fructu mandata carebunt,
Si longo sermone moror mea tempora? latus

Ergo

Ergo viam, quam monstrat honos, quam Gloria, curram.
Non sic Hippomenes, non sic Atlanta cucurrit,
Non quæ magnanimo junxit sua federa Turpo,
Ceus Carus, namque illi dederat Sapiëntia vires
Immenſas, piguitque modo tam vana locutum,
Cum ſibi Triptolemi currum, bigamve Draconum,
Bellerophonis Equum, vel quas ſibi Dædalus alas
Finxit Diſtæa fugiens ex arce peſiſſet.
Sex vix orta fuit vicibus Lux pallida Lunæ,
Cum Carus confecto ſecum trahit agmina curſu
Integra, et ante arcis ſe oſtentat moenia: cujus
Portitor ut vocem cognoverat, omne lætus
Nuncius ad Dominam pede non titubante tetendit:
Quæ poſtquam facta eſt adventus certa Catonis
Læticia exultans paſſu perit alite muros.
Non ſic Penelope, non ſic Ariadna recepto
Poſt mala fata Viro, poſt mille pericula plauſit:
Non ita composito vultu conſpexit Oreſten
Electre, veluti reducem Dea magna Catonem:
Hinc ubi devictas ſavo ſine Marte Cohortes
Viderat, illarumque Ducem, ſic ore locuta eſt:
Hunc ego, dilectæ Comites, præferre Triumphum
Auſim Pompeji, quo ter Capitolia curru
Conſcendit, Marius quo fregit Colla Jugurthæ:
Hunc ego non generis tantum Patriæque; ſed Orbis
Jam pridem merito compellem jure Parentem
Qui Mundi nunquam ceſſante labore Salutem
Per fluvios, Syrtis, per Saxa, per arma, per ignes
Quærit: tunc urbis portas referare Colono
Diva jubet, ſedeſque illi aſſignare recentes.
Tunc Carus: Da veniam, quaſo, Dea maxima, dixit,
Si tua non totidem turgebunt oppida turmis,
Quot ſperalle poteſ, equidem mandata peregi,
Quaque patet, Mundum totum in tua Regna vocavi:
Arcades huc veteres, Ligures, flavoſque Ruthenos
Vangiones, Batavoſque truces, et Marte feroces
Heniochos, notoſque erepto vellere Colchos:
Huc ego Maſſagetæ, Numidas, volucresque Gelonos,
Geulium, fixo qui ludit in hoſpite Maurum
Quique diem gaudent annis vitaque repleti

B

Extre-

Extremum donasse Deis, fortesque Suevos
Et Thracas, et toto divisos orbe Britannos,
Huc ego Sarmatiæ, Scythiæ, mollisque Sophenes,
Pannoniæ, et reliquas nullo discrimine gentes
Confluerent, iussi, sed spes deluisti hiantem.
Quocunque adspexi, reperi omnia plena Deorum;
At tibi sacratam nulquam conspeximus aram:
Roma Jovem centumque Deos, Achaja Minervam,
Junonem Carthago, Samos, Sparte atque Mycenæ,
Mulciberum Lemnos, Lucinam Creta Jovemque;
At Venerem Gnidus atque Paphus, Memphisque Cyprusque,
Clara Rhodos Phœbum, Martem Thrax atque Latinus,
Iñda Bubastenque Pharos, Thebana Lyæum
Turba colit: nimium falsis qui credit undis,
Neptuno plaudit, Marti, qui diligit arma:
Mercurium Mercator amat, Phœbenque Venator:
Augur Apollo tibi servit, Cererique Colonus:
Pollucem pugil-s, & Castora, quisquis equestri
Decertare cupit pugna, reverenter adorat.
Sic, (quasi necires dico) suo Numina terris
Sunt cunctis, nulli colitur Sapia genti:
Innumeros finxere Deos, queis Thure meroque
Sacrificant, quorum rutilo stant templa metallo;
Nulla Salem Sophie, passurave tarra bis ignem
Fert Regio, nullus Sophien, ceu Numen, honorat.
Igitur vesana manus, nec digna beatis
Sedibus his, quo te ratio corrupta jubebit.
Tu vero, quæ Castra lequi mea dulce putasti
O generosa Cohors, age, devenerare potentem
Supplicibus Dominam votis, & jussa capesse,
Quæ dabit: hic animos, mores hic pone vetustos,
Et Libertatem, felicia rura tenere
Si cupis hæc semper, frano remorante coërce.
Dum Cato plura suæ cupit inculcare Cohorti,
Diva aperire Domus amplæ juber ostia Phœbum,
Et Cives intrare novos; tum Delius arcu
Seposito Citharam nunc pectine pulsat Eburno
Nunc digitis, ipsæ referant cantica Musa:
Proximus his fuerat Thebana Conditor arcis,
Biloniusque Orpheus, & quem super æquore Delphin

Vexe-

Vexerat: hi stridulas tractabant pollice chordas.
 Interea in rubro collectas Litore conchas
 Tyro rudis, nec magnificis alliveta Juventus
 Suspicit, & Tyrio laquearia cocta veneno:
 Huic pavimenta placent, huic Jaspide fulva supellex:
 Ille trabes, alius portas, hic mœnia laudat,
 Hic Ebur, hic gemmas, hic marmora laudibus effert.
 Diversos diversa trahunt: sua cuique Voluptas
 In promptu est, paucos tenuit Dea sola relictis
 Omnibus: his veluti Mundo Sol sufficit unus,
 Sorte sua lætis Sapiencia sufficit una.
 Jam Labor exiguus Phœbo restabat, Equique
 Pullabant pedibus spatium declivis Olympi,
 Cum Caro Convivas mensis accumbere iussit:
 Macti animis, inquit, non quæ lasciva Canopi,
 Aufoniæ fatale malum, Convivia Marco
 Exhibuit Regina suo: non vana Vitelli
 Fercula, non Prognés Epulæve, Dapæve Thyestæ
 Accipitis; sancti vos poseit mensa Platonis
 Aut Sophiæ potius, quas, qui gustaverit, ille
 Fortunæ indomita vincet Cervicem tumultus:
 Ille etiam, vitæ cum stammina dira secabit
 Atropos, haud totus satis succumbet iniquis:
 Pars cader exilis Corpus: pars maxima Regnum
 Effugiet, Libitina, tuum, victrixque per altra
 Sub pedibus terras mundanaque Regna videbit.
 Ergo, agite, o Juvenes, sacris accumbite mensis,
 Ac hilari Dominiæ nunc carpite munera vultu.
 Fons fuerat vivus saxosis proximus antris
 Splendidior vitro, non illic Canna palustris,
 Non steriles ulvæ, nec acuta cuspe junci
 Crescebant: umbras ripæ dabat arbor utrique
 Arbor, quæ bis sex generum dabat incluta fructus,
 Et quoties plenæ deducitur orbita Lunæ,
 In foliis æterna Salus florescere gentis
 Humanæ toties solita est, & trudere gemmas.
 Et toties arbor fructus, nova poma ferebat,
 Digna manu Veneris, vel adhuc meliore teneri.
 Quo dederas Dominiæ, si tale fuisset, Aconi.
 Verba legenda tuæ, Te nemo bratior esset,

Et

Et Romana tuæ concederet Ilia sponsa:
Ista Dapes arbor dabat, isti pocula fontes
Præstabant, Jovis Idæo bene digna ministro.
Jamque fames satiata fuit, cum Diva verendo
Hospitibus repleta suis Cœnacula vultu
Intrat: Apollineis ardebant Lumina flammis
Quæ poterant radiis penetrantibus omnia terras
Intimaque Oceani pertumpere viscera: nulla
Hanc possint, Phariæ quamvis, hebetare tenebræ,
Nec moles, non si quis Athon Pindumque tuenti
Objiciat, mentis tenui videt omnia in ictu
Quæ fuerint: quæ sint præsentia, quæque futura.
Illa quidem dudum Cumææ fecula varis
Transierat, facies tamen inviolata manebat
Cunctaque spirabant juvenilem membra Vigorem.
Vt propriis redolent distinctæ sedibus herba,
Hac stabant quoque Lege genæ: manantia myrrha
Lilia cedebant Labiis: manus utraque gemmas
Et marmor Parium, & glaucum Beryllon habebat:
Vertex Carmelo similis, ceu fila Capilli
Aurea, surgebat, ceu turris, eburnea Cervix.
Si speciem quæras: eadem mutatur in annos
Nunc etenim parva minor est deprensa puella,
Nunc iterum celsum Caput inter nubila condit
Aspectumque hominum fugit, et vicina Tonanti
De Coelo Mundum, mundanaque regna gubernat.
Candida vestis erat, claris distincta Smaragdis
Candidior quovis trepidante per ardua Cygno:
Candidior nivibus, tunc cum cecidere recentes,
Quas liquidas Phœbus nondum convertit in undas.
Hanc propriæ nevere manus de vellere Serum.
Nunquam, crede mihi, tantus decor affuit arti,
Quando rudem Pallas lanamolvebat in Orbes,
Aut digitis subigebat opus, repetitaque longo
Vellera mollibat nebulas æquantia tractu:
Quantus erat, qua tunc rediit Sapiencia, vesti:
Huic aderant Comites, Pietas, Astræa, Fidesque
Et Pudor et Candor, verique Aethia satellites,
Atque Comas viridi fulgens Concordia Lauro
Inde gravi vultu Constantia: clauserat agmen

Virtu

Virtutum, nullo Patientia victa dolore;
Has habuit socias Regina, sed altior illis
Præcedit, Colloque tenuis supereminet omnes.
Quas ubi tendentes conspexerat eminus hospes
Quid videat, longo dubitabat tempore: donec
Non conspecta diu propius datur ora tueri:
Tunc aliquis tacito secum sic murmure fatur:
Fortunata Deum sedes, quæ nomina Laudum
Unica mille capis, Tene Tellure fugata
Virtutum sacrata Cohors elegit azylum?
Lampadis extinctos quodsi nunc vendilet ignes
Virtutesque illo quærat per Regna labore
Diogenes, quo homines humano nomine dignos
Cecropiis frustra quondam quæsiuit Athenis;
Flava Ceres terras, si rursus & æquora lultter
Ardentesque faces quatiat, tamen omnia casto
Indignabundi conamine cepta videbunt,
Nam citius homines Cynicus, prius optima natam
Mater, et Ægypti vesanum vulgus Olin
Inveniat, quam quis testas Virtute reperta
Concipiat voces, adeo sunt omnia fœdæ
Limina terrarum scelerum plenissima noctis,
Sed cadat illa dies ævo, nec secula noerint
Postera, quæ nullis reparandos artibus Orbi
Thesauros rapuit, quales non Regia Cræsi
Non Pythiæ Crassive domus, non aula Tyranni
Niliaci, non ripa Tagi, non dives Hydaspes
Non Telluris opes omnes, non æquora reddent.
Hos miseris utinam cœlestia numina terris
Restituant, et mox Saturnia secla redirent.
Ast quid ego hæc votis frustra puerilibus opto
Quæ non ulla dies, non improba Vota reducent.
Felix ille cui datur hujus adire Corinthi
Mœnia, non illum falces, non Purpura Regum
Flectet, et infidos agitans Discordia fratres.
Hæc hospes tacito secum dum pectore versat,
Attingit Solum variis illustre lapillis
Diva suum, Comitum longa circumdata pompa;
Hoc ubi confedit, redimicula mille Colorum
Ante suos oculos famulas deponere iussit;

C

Postea

Postea mellifluo monitos Sermone Colonos
Nomine quemque suo compellat, et aurea nudo
Dat Capiti mambus ternarum nexa Sororum
Serta rosis, violis, viridique insignia Myrtho.
Hæc ego sollicito dum Lumine cuncta pererro,
Te quoque Diva sua compellat voce, MVRAVE!
Heu mihi, quanta meam rapuerunt gaudia mentem,
Postquam Phœbeos circum tua tempora Lauros
Serpere conspexi, gemmisque micantia ferta.
Non ita, crede mihi, gavius Atrida Triumpho est
Dardanio, capris Priamæa mœnibus urbis,
Nec sic Dulichius belli Pelagique subactis
Temporibus, Patriæ scandentem Culmina fumum
Penelopenque suam latus conspexit Ulysses,
Quanta ego tunc hilari permixti Jubila Lingvæ
Cum Cato, cum Comites, et cum sapientia centum
Ipsa tuas alto cecinit de Pegmate Laudes:
Eucleam, dixit, vel Daphnidis una Coronam
Si meruit Virtus, tibi quos referemus honores?
Quidque tibi Sophie tanta dabit Indole dignum?
O præltans animi Juvenis! si ferta requiris
Et flores, Calathis dabimus tibi Lilia plenis
Pelthanasque rosas: aderit quoque Spartica myrtus:
Huic Lauros, Violas, fœderas, fuscumque Corymbum,
Narcissum, Cassiam, Palmas, Pierinque, Crocumque,
Et quoscunque novat Zephyrus redivivus odores,
Addemus faciles; sed non hæc talia Virtus
Enthea deposcit, perituros despicit hortos,
Atque decus tantum cupit immortale tenere,
Macte animis! si quid fas est promittere Musis
Elysiis, et Te cello super æthera Cutru
Sola Sophocleo tuâ Carmina digna Coturno
Extollent, quatesque aliquando Victor Olympum,
Cum Gryphios, cumque Opitios, reliquosque Poetas
Teutonici longe clarissima Lumina Pindi
Grandisoni Versus modulo post terga relinques.
Nec tamen hinc prorsus, Nate, indotatus abibis:
Quin potius, tibi quæ nostrum testentur amorem,
Has cape puniceas auri subtemine vestes,
Hunc pileum, viridem digitis hunc inde Saphirum

Nobi-

Nobilitatis opes, et Libertatis amata
Indicium: claraque auro gemmisque Corollam:
Hæc tibi sint nostri cernissima signa favoris!
Interea persta: multo majora sequentur
Præmia: si semper Virtutis tramite curres,
Et scelerum celeri fugies contagia gressu,
Sirenium nostri Cantus, aconitaque Circes
Plena Voluptatis, sed plus nocitura bibenti
Quam si de stygio manantia pocula fonte
Haulisset cupidus, violataque sanguine Nefsi.
Hæc fuge, si cupies patriam retinere Coronam,
Atque meus miles, Civis, Natuque vocari.
Et fugies: sperare tuæ me gratia forma
Sic jubet, et manibus Comitum conficta mearum
Hæc facies, in qua videor mihi cernere totam
Virtutum seriem: sedet hoc Constantia vultu
Omnia despiciens adversæ fulmina fortis:
Hoc Pietas Superis accepta in Pectore regnat:
Hoc in Corde suam nulli contermina furo;
Sed simplex, sed præca Fides Germanaque sedem
Elegit: Pudor hos oculos infedit honestus.
Cætera præterea nec enim omnes unica Laudes
Lux capiet: queis Te Deus & natura beavit.
I nunc, quo Tua Te Virtus vocat, i pede fausto
Quæque tibi nunc ito decrevi, gaudia carpe.
Vos quoque jam tas est, reliqui Virtutis alumni,
Sumere delicias, nullisque adeunda scelestis
Arva. Cato lectas duc in sua rura Cohortes:
Vivant, & noltris illic in Pace fruantur
Legibus: hæc Lex est, hæc serua nostra Voluntas.
Tum Dux, ut patuere Domus stridentia Claustra,
Tollere signa jubet. Mox cum stetit agmine quisque
Quadrato, ard ntem præit Dux ipse phalangem
Ipsamque in multis partas sudoribus ædes
Ducit, ubi æternos Sapientia regnat in annos.
Tu, MYRAVE Ducis vestigia prella legebas,
Et dixi raticus: veniunt jam tempora iusta
Queis facilem votis nostris se præbet Olympus.
Aggredere, o magnos, spes o suprema Parentis
Natalisque soli, venit jam tempus, honores.

Haete.

Hactenus invicta gessisti praelia Dextra
Et par Alcmenæ vitiorum monstra domasti:
Hactenus assiduo trivisti membra labore,
Ingeniumque tuum, superest, ut præmia tollas.
Evenere! igitur lætos post bella Triumphos
Vox canat, et spectat longas Capitolia pompas:
Si tua quotidie, velut hæctenus ignea crecet
Sedulitas studiumque tum, Constantia, Candor,
Et Pudor, & casta spectanda Modestia fronte,
Si quid habent unquam Vatum præfagia Veri,
Herculeas ultra tender tua gloria metas.
Hoc precor; o superum subscribite Numina votis!
Et facient, etenim Phœbi crepuere pharetræ:
Concussit rigidus Ductor Clypeumque Comamque:
Assurgunt Comites læto et Sapiencia nutu:
Tu gaude, cecinit verum mea Musa, MVRAVE,
Testis erit Sophie, testis Cato, testis Apollo.



Ung VI 4

(x 2743293)



U 17
U 18




secundum utram-

LENIUM, cujus Pa-
um fecerunt? N.
irmari? N. Qvic-
is Theoria Sacra
4. fidem Veteris
ia, affert. Cap. 5.
hit in opinionem

das, vel Adamus
enta administrare

LANT, Neofolien.



159

JUVENI
NOBILISSIMO, CLARISSIMO,
DOCTISSIMO,
DOMINO
CHRISTIANO
MURAVE,

VRATISLAVIENSI,

CVM IS

LAVREAM PHILOSOPHICAM

MORE INSTITVTOQVE MAJORVM

VITTENBERGAE IN SAXONIBVS

DIE XVII OCTOBR. MDCCXII

REPORTASSET,

GRATVLATVR

DANIEL HÖCKH, HVNGARVS

WITTENBERGAE,
PRELO KOBERSTEINIANO.